



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

10. An Fratribus Minoribus possit committi nominatio executorum alicuius testamenti. Et ad hoc an in Fratrem Minorem requiratur facultas à suo Prælato? Ex p. 8. tr. 5. res. 8.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

appellatione fratrum executorum sorores etiam comprehenduntur, Probat.

3. *Primo*, quia in ultimis voluntatibus masculinum concipit foemina, l. *seruus legatus*, in *principio*. §. *si de pueri*. §. *l. qui duos*. de leg. 3. l. *inter stuprum*. §. *si ff. de verborum signif.* l. *si ita scriptum*. de legat. 2. & (pluribus relatis) sequitur Antonius Gabriel *commun. opinio. tit. de verborum signif. num. 7.* & alij *conclif. 6.* Decius in d. l. *foemina*. ff. de reg. iur. num. 90. §. 91. §. 103. Peregrinus de fidei commissis, art. 25. n. 2. Fachinaus *controu. lib. 8. cap. 97. vers. sed hoc est natura huius*, Emanuel Costa in c. *si pater*, de testam. in 6. l. *part. verb. si utrumque*. n. 1. & aliis. Quod siue sit ex proprietate sermonis, siue per extensionem, foemininum sub masculino comprehenditur, ex eodem Costa *ibi*. Menochio de *presumpt. lib. 4. presumpt. 84. n. 2. & 3.* maxime prout ipse n. 4. asserit, in ultimis voluntatibus.

4. *Secundo*, quia illud praecipue locum habet, quando materia, de qua agitur, ita conuenit mulieribus, sicut & masculis, nec inter eos diuersitatis ratio inuenitur, Philip. Decius in d. l. *foemina*. ff. de reg. iur. vbi additio num. 13. vers. *Sed ista limitatio*, Menochius *dicto a presump. 84. num. 4. per totum*; Peregrinus *dicto art. 25. num. 5. ibi: per identitatem rationis*, Fachinaus *dicto c. 97. vers. Sed hoc est natura huius contractus*. Vnde cum executio, & commissio testamentaria ita conueniat masculis, sicut foeminis: quia iure eis permillum est (ex dictis) consequens est, vt sorores comprehensae censentur.

5. *Tertio*, quia appellatione fratrum regulariter veniunt sorores, l. *tres fratres*, ff. de *pactis*, l. *fratres*, C. de *inoff. iust. testamento*, Anton. Gabr. de *concl. 6. n. 3. & 4. & n. 110. & 111.* Quod etiam est in vltima voluntate ex l. *Lucius*, §. *questum*, de legat. 3. l. *Lucius*, §. *Menia*, el. 2. ff. ad *Trebellian.* Bart. Angel. Paul. de Castro, Fulgofius, & Iafon, quos sequitur Anton. Gabr. d. *concl. 6. n. 9. & 10.* Quod etiam in statutis locum habet, in quibus soror fratris appellatione continetur idem Anton. Gabr. ex Bald. Alex. Bolog. & Corneio. n. 28. Quae omnia maxime militent vbi est eadem ratio, ex Decio d. n. 113. Anton. Gabriele d. n. 29. Menoch. d. n. 4. Peregr. d. n. 5. quia quando diuersa procederet, masculinum foemininum non comprehendit prout magna Doctorum copia congerit Anton. Gabr. n. 49. Vnde cum inter masculos & foeminas diuersitatis ratio constituit non valeat, ex eo, quia materia executionis & commissionis testamentaria masculis, & foeminis permittitur, & conuenit, ex eodemmet Baldo, Decio, Couarr. & Molina: necessario asserendum est eisdemmet authoribus, sorores comprehensas censerit. Nec ratio imbecillitatis ingenij mulierum ad propositum facit, cum potius perfectum (quoad hanc materiam) iudicetur, cum iure mulieres executrices & commissariae testamentariae nominari valeant, ex eodem Baldo, Decio, Couarr. & Molina in locis superius adductis. Et haec omnia docet Carpius loco citato, vbi etiam doctè pertractat aliam questionem: Vtrum mulier nupta nominari possit à tertio executrix & commissaria testamentaria.

Sup. hoc magis late in ref. preterita.

RESOL. VIII.

An minores possint esse Executores testamentarij?

Et quid si minor expleuit 17. annum?

Et minor si expleuit 17. annum an possit esse Procurator ad negotia, vel habere debeat 25. annos? Et quid ad iudicia? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 6.

§. 1. **A**D hoc dubium sic responderit Cardinalis de Lugo de *insist. tom. 2. disp. 24. sect. 16. n. 324.* Impubes executor esse non potest, bene tamen mi-

nor, si expleuit 17. annum, vt colligitur ex cap. qui generaliter, §. vlt. de *procur. lib. 6.* Ita ille, & ante illum Sanch. in *opusc. tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 10.* & nouissimè VVadingus de *contract. disp. 4. dub. 13. §. 1. num. 1.*

2. Sed hanc sententiam libenter admitto quoad negotia ex cap. qui generaliter, §. vlt. de *procur. in 6.* ex quo, qui decem & septem annos expleuerit, potest esse procurator ad negotia. Non assentior tamen Cardinali de Lugo, Sanchez, & aliis, quoad iudicia: in his enim minor viginquinque annis executor & commissarius haudquaquam esse potest, ex ratione textus dicti capituli qui generaliter, §. vlt. in illis verbis: *ad iudicia tamen, nisi maior viginquinque annis fuerit, deputari nequiuert.*

Rectè igitur varios casus circa praesentem difficultatem distinguit Carpius de *execut. testam. lib. 1. c. 8. n. 3.* & seq. quem omnino videbis.

RESOL. IX.

An Clerici possint eligi in Executores testamentorum tam ad pias causas, quam ad prophanas?

Et quid de Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis? Et an hoc etiam procedat, quando Clericus deputatur Executor testamenti simul cum laico? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 7.

§. 1. **A**Liqui opinati sunt hoc posse fieri solum ad pias causas. Ita Ansalduus *tract. de iurif. part. 2. tit. 11. cap. 29. n. 12.* & Speculator *tit. de instrum. edit. §. nunc verò aliqua n. 73. in fine, & n. 74. in princip.* & Iacobus à Camibus de *execut. vlt. volunt. part. 3. n. 40. & seq.*

2. Sed haec opinio est prorsus refellenda, & ideo ego puto Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, & omnes Clericos posse executores testamentorum effici, non solum ad pias causas, sed etiam ad prophanas, quia licet Clerici curam secularium actuum recipere non debeant, l. 1. q. 1. c. 1. *et quidem*, nec esse ministri laicorum; hoc tamen est speciale in executione testamentorum, etiam ad non pias causas, vt possunt esse, vt notatur in c. 2. de *testam. in 6.* Et ita docet cum pluribus Sanchez in *opusc. to. 2. lib. 4. c. 1. dub. 40. n. 1.* quibus adde VVadingum *in opusc. to. 2. lib. 4. c. 1. dub. 13. §. 1. n. 1.*

3. Et nota hoc etiam procedere quando Clericus deputaretur executor testamenti simul cum laico, quia licet in officio dispar professio esse non debeat, ex c. in *nona* 16. c. 1. hoc intelligitur quando admittuntur, vt vnum corpus, vel vt vnum Collegium. Ita Sanchez *vbi supra.*

4. Et ratio horum omnium est, quia licet causa non sit pia, in qua executio seu commissio à testatore relicta est, tamen officium charitatis est, eius voluntatem ad effectum perducere, Authent. de *hered. & falcidias*, in §. *si verò expressim designauerit*, *ibi, iustè, & pù;* & *ibi, pie agendo*, collat. 1. iniustum, imò impium esset Cardinalem, Episcopum, & consequenter quemlibet alium Clericum voluntatem defuncti non perficere, cum testator, qui eos nominauit, ex hac luce migrauerit, & alium, vel alios executores testamentarios, de quibus confidere possit, nominare minimè valeat argument. text. in l. 1. C. de *sacro sanctis Eccles.*

RESOL. X.

An Fratres Minoribus possint committi nominatio Executorum alicuius testamenti?

Et ad hoc an in Fratre Minore requiratur facultas à suo Prelato? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 8.

§. 1. **R**espondeo posse, tam, quia hoc non est esse proprium executoris: tum quia ratio prohibi-

tionis, ne scilicet contrectarent pecunias, litésve in executione libertas agitent, & ab spiritualibus exercitiis eo munere dissentiant auocentur, omnino cessat eo munere dissentiant auocentur, omnino cessat in executione nominatione. Præterea in eo casu non est incerta executorum nominatio (vt vult Francus cap. 2. in princ. num. 2. & de testam. in 6. & ibi Dominicus n. 4. qui propterea oppositam sententiam tenuerunt, certitudo enim in alterius voluntatem bene confertur, vt ex Baldo cum aliis l. id quod pauperibus. num. 15. C. de Epis. & Clericis, docet Sanchez supra numer. 4. 1. qui hanc sententiam sequitur, & refert Couarrubiam cap. tua nos. num. 1. in fine, de testamentis. Matienz. lib. 5. recopilat. tit. 4. lib. 14. gloss. 1. num. 3. Rodriguez tom. 3. de Regular. questio. 70. artic. 2. & tom. 2. summa cap. 70. n. 21. contra Molin. disput. illa 247. §. illud est obseruandum.

2. Rectè autem monet etiam Sanchez facultatem requiri in Fratre Minore à suo Prælato; Religiosus enim non habet velle, aut nolle, vt ex postea dicendis de aliis Religiosis constabit.

3. Docet etiam ipse Sanchez, num. 42. ex Matienz. supra eam commissionem nominandi executores debere esse incerti ex certis, vt nominandi aliquem ex tali Collegio; nulli enim potest valide committi indefinita executoris nec tutoris nominatio, vt probat Matienz. citat. tit. 4. §. 1. gl. 8. n. 4. Nec etiam valet, quando esset ad eod. generalis nominatio, vt ipso non nominante, non possent omnes simul exequi, vt si ommitteret nominare vnum de tali Regno, aut ciuitate. Et hæc omnia, præter Doctores, citatos docet Dicastillus l. 2. n. 19. disp. 3. dub. 10. n. 106.

RESOL. XI.

An ceteri Religiosi etiam Claustrales possint esse Executores testamentorum, tam quoad institutionem & legata prophanam quam pia?

Et an hoc vnus suscipere non possint, nisi à suo Superiore petita super hoc licentia, & obtenta, quod secus dicendum est de his, qui habent beneficia præsertim perpetua extra Monasterium?

Et quid est dicendum, si Regularibus specialiter suo Religioso instituto interdicitur, vt non possint esse Executores testamenti? Ex p. 8. t. 5. Rel. 9.

§. 1. Officium executoris testamentariz solum permissum esse Religiosis ad pias causas, tradit Speculator de inst. edit. §. n. verò aliqua. n. 70. Sed Religiosum executorem testamentorum constitui non posse, nisi Superioris licentia ad hoc petita, & obtenta, text. expressus in c. fin. de test. l. 6. qm. princ. vbi Bonifacius in hac verba scripsit: Religiosus executor ab alio in sua voluntate vltima deputatus, non potest, cum velle vel nolle non habeat, huiusmodi officium suscipere, nisi à superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta. Idem statuit Pont. in Clementina vnica eod. tit. in illis verbis: Quod vtique non posse, nisi à superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta suscipere.

2. Quæ quidem sententia intelligenda est, siue executio sola Monacho relicta fuerit, siue ordinatio, distributio, electio, & dispositio commissa sit: in vtroque enim casu, officium exequi & suscipere Monachus poterit, (superioris obtenta licentia.) Cum quia textus in d. cap. finali. & in d. Clementina vnica, & supradicta communis Doctorum traditio indistinctè loquuntur; tam etiam, quia (ea obtenta) Monachus velle, & nolle habet, ad illud exequendum ex prædictis iuribus. Et sic inter executionem solam, & inter distributionem, electionem, & dispositionem Monacho commissam, nullum diuersitatis discrimen verfarum vnus, & alter casus ex eius arbitrio, & dispo-

Tom. VI.

sitione, (præmissa superioris facultate) dependat.

3. Declaranda iterum est, vt locum habeat etiam in causis non piis, quarum executio, & commissio Monacho relinquatur: ita Cardinalis in dista Clementina vnica, n. 10. vers. 2. quæro, Ioan. de Imola ibidem n. 10.

4. Postea igitur sui superioris licentia constat ex supradictis textibus Religiosis permitti, tam quoad institutionem, & legata prophanam, quam pia; quia supradicti textus indistinctè de cuiuslibet vltimæ voluntatis susceptione, & executione loquuntur. Præterquam, quod factis piis est, quæcumque defuncti voluntatem licitam, & honestam exequi. Neque in huius officij executione, & susceptione opus est, vt aliqua specialis vtilitas monasterio proueniat; quia dicti textus illam non expostulant, sed solum licentia Prælati contenti sunt.

5. Omnia verò supradicta procedunt in Religiosis Claustralibus; secus verò dicendum est de his, qui habent beneficia præsertim perpetua, extra Monasterium, cum non subint obedientiæ sui Prælati, saltem sicut alij, qui domi habitant; sicut enim temporalia tractant sine recurso ad superiorem, sic & executionem testamentorum. Ita VVadingus tract. de Contr. disputat. 4. dubi. 13. §. 1. numero 21. & Dicastillus de iustit. lib. 2. tractat. 19. disputat. 3. dubit. 10. num. 111 & alij.

6. Vnde ex his apparet cautè legendum esse Petrum Nauarra l. 1. de test. c. 1. p. 3. dub. 1. n. 167. vbi ait, Regulares posse esse testamenti executores, nisi eis specialiter suo Religiosis instituto interdicitur sit; nam hoc est contra textum c. 2. de test. in 6. & contra Clementinam superius adductam, & contra communem sententiam Doctorum.

RESOL. XII.

A quo Superiore petenda sit licentia, vt Religiosi exerceant munus executionis alicuius testamenti?

Et an ad hoc non requiratur consensus Conuentus?

Et an ipse Superior Conuentualis, qui dat aliis licentiam, possit ad hoc secum dispensare, nisi aut illa dispensatio requiratur specialem distinctionem persona dantis, & accipientis, aut per Ordinis statuta veterum secum dispensare? Ex parte 8. tractat. 5. Resolutione 10.

§. 1. Respondeo, quod Iacobus à Canibus de executoribus vltimam voluntat. parte 1. numero Trigesimo Secundo. (aliquibus opinionibus se inuoluens) distinctè, & particulariter sententiam eligendam non constituit; sed ea tanquam veritas sine amplectenda est, quod superior ille dicitur, cuius imperio Monachus immediatè subditus existit: ex Cardinali in Clementina vnica, de testamentis, numero 4. Ancharano in capit. finali, eodem titulo, numero. 3. versic. Secundo nota, nec consensus Conuentus requiritur, argument. textus in dicto capite si Religiosi de elect. lib. 6. §. Quia verò.

2. Sufficit igitur sola licentia Prælati conuentualis. Et nota hic obiter, quod ipse superior conuentualis, qui dat aliis licentiam, potest secum ipse dispensare, quia regula est, quando superior cum aliis dispensat, posse quoque secum in eadem re dispensare, nisi aut illa dispensatio requiratur specialiter distinctionem persona dantis, & accipientis, aut per Ordinis statuta veterum secum dispensare. Syluester testamentum 2. questio. 2. Molin. disput. 247. num. 9. quibus adde Castrum Palaum com. 3. tractat. 16. disputat. punct. 13. §. 1. num. 4.

Pp 3. Dicastill.

Sup. contenti in hoc, & seq. §. lege in f. a doctrinæ. el. 70. & sig. quæter. §. vi.